Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8282
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

assignat arbitratus se in minoribus non esse occupandum qui se ad maiora sentit ydoneum et ita proportionabiliter intellectus est de quolibet singulari seculari in quocumque statu posito et potissime qui presumptuose ingerunt se ad status officia gradus et beneficia proximo ad curas animarum/

Octauus gradus

Octauus gradus vocatur defensio peccatorum/ Cum enim superbus corde credit se alijs meliorem/ et de seipso in magnis presumit/ tunc quamuis sepe erret et peccet non tamen hoc de se credit/ nec vult ab alijs credi/ et ideo tamen tale peccatum etiam a superiori vel ab alio sibi obicitur tunc negat/ aut alijs multis modis peccatum excusat dicendo/ Non feci aut feci quidem sed bene feci aut si male non tam multum/ aut si multum male non tamen mala intencione/ Sic autem de illis vt Adam et eua contingit aliena suasione se excusare nititur Qui autem talia peccata/ cogitaciones cordis malas/ et peccata abscondita facta pure et integre confessori suo vel superiori aut alij consulere potenti humiliter declararet hic non esset superbus/

Nonus Gradus

Nonus gradus vocatur simulata confessio/ fallax et superba/ Simulata confessio/ ut cum superbus peccatum non potest negare tunc fatetur ore sed non confitetur corde/ aut exterius simulat penitenciam sed in corde nullam habet contricionem sciam/ de peccato aut displicenciam/ Et si superior suus pro peccato quod fassus est ipsum punit/ aut alter aliqua contumelia sibi pro illo irrogauerit statim irascitur/ frendet/ et minatur/

Decimus Gradus

Decimus gradus vocatur rebellio et est qua homo consumatis omnibus que sunt in gradu nono incipit spernere et contempnere superiorem suum nolens sibi obedire etc et ex hoc sequitur quod incipit facere propriam voluntatem suam/

Vndecimus Gradus

Vndecimus gradus vocatur libertas peccandi cum quis spreto superiore suo aggreditur voluntatem propriam/ incipit implere desideria sua/ In quorum implecione dum sentit voluptatem et non timet aliquem superiorem/ tunc frequentat huiusmodi ex quorum frequentacione generatur consuetudo peccandi/

Duodecimus gradus

Duodecimus gradus vocatur Consuetudo peccandi qua homo contempto superiore viuit secundum propriam voluntatem tunc incipit delectari in explendo desideria sua in quibus cum excepit voluptatem/ libenter et frequenter repetit ea per quorum frequentacionem generatur consuetudo que sic ligat hominem et trahit in profundum viciorum ita ut iam homo diuini timoris et sue racionis oblitus indifferenter libitus vtatur per licitis